



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.  
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

**Contzen, Adam**

**Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI**

Quando erat in mundo?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

Beza de luce naturali in re pre-tatur.

Nati infantes etiam usum rationis non habent, aut certe perexiguam, tamen animo ipso sunt praediti, qui suapte natura iam tum facultate aptus est ad intelligendum ac ratiocinandum, ut alicubi recte docet Lactantius: quamvis quominus in actu, id est actu, ut loquuntur, officium faciat, instrumentorum corporis infirmitas impediatur. Apparet enim omnino ex iis quae sequuntur, & vi horum verborum propria, hoc esse accipiendum de beneficio Christi toti humanae genti communi, ante lapsum, ut minime necesse fuerit nodum hunc necere. Qua ratione dicatur omnem hominem illuminare Christus, quum tam multi in tenebris maneant: quasi de regenerationis gratia hic agatur, quae filiis Dei peculiariter est destinata. Est enim hic versiculus cum proximè consequente in egyptia. ver. quarti & quinti.]

Hec lux non est gratia originalis.

Non potest illa interpretatio consistere: nam lux de qua loquitur est illa lux, de qua Ioannes testimonium perhibuit, ut per eam crederent in lucem; lux est quam tenebrae non receperunt, lux est quam mundus non cognovit. Non igitur illa illuminatio qua Adam illuminatus est in paradiso: Nemo enim prae-ter primos homines talem consecutus est lucem. Atque ita omnis homo, solos duos protoplastas significaret, quod cum absurdum sit, alio etiam a gameo premitur. Dicitur: lux est, quae iam nunc illuminare, aut eius efficaciam esse, ut illuminet, non autem iam illuminasse: & omnem hominem ex quo venientem, non prisco illos tantummodo, sed posteros, atque adeo ipsum suum testem Ioan. Baptistam. Aug. tra. 1. in Ioan. & ep. 120. ad Honoratum, praestantiam lucis verae a Ioanne ex eo demonstrat, quod cum illuminet omnem hominem, etiam ipsum Ioan- nem illuminet.

Infantes non illuminantur ante baptismum.

§. 6. Pelagiani hoc loco probare conabantur omnes nati sanctos, & spiritualiter illuminatos: venientes enim in hunc mundum illuminari. Alii de circo infantibus natis usum rationis attribuebant, apud Aug. l. 1. de peccat. mer. & remiss. c. 25.

Animas non sunt creatae ante corpora.

Lutherani etiam qui infantibus dum baptizantur actualem fidem inesse affirmant, non dissimili errore tenentur. §. 7. Infantiunt, qui ex eo quod homo venite dicitur in mundum, deducebant animas ante in caelo creatas, in corpora delapsas esse, quod Origeni tribuunt. Venire enim in mundum, est nasci, sicut exire, est mori. Vide Origen. lib. 1. c. 3. de principiis, & l. 2. c. 3. Epiph. haer. 64.

Homo dicitur venire in mundum.

§. 1. Atinus textus non est ambiguus, Graecus vero duplicem sensum efficit: *ὁ κόσμος ἔσθ' ἡμεῖς* ad personam hominem, & sic efficit nostri interpretis sententiam: Vel ad *ὅσους*, ut sit sensus: *Quae illuminas omnem hominem veniens in hunc mundum.* Syrus etiam ad hominem refertur, *ὅσους* autem venientem. Haec communior est veterum & recentiorum interpretatio. Moser tamen Augustinus in Graeco etiam alterum sensum haberi. Quia & Paulus ait, Christum venisse in mundum, & c. 3. 13. infra v. 13. *Lux venit in mundum.* Tolerans venire in mundum intelligit de hominibus qui in mundo versantur. Sed cap. 18. v. 37. Christus ipse hoc dicendi genus exponit.

VERSUS 10.

In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit.

QUESTIO I. Quando erat in mundo?

§. 1. Magna veteres consensu de verbo nondum incarnato Evangelistam sunt interpretati: aliud sentiunt viri nonnulli docti. De Adventu Christi in carnem, & praesentia corporali sermonem esse, ut etiam noster Maldonatus. Mihi potior est veterum sententia: Primo quidem auctoritate: ita enim Aug. tra. 2. in Ioan. Cyril. lib. 1. in Ioan. cap. 10. Chrylost. hom. 7. Prima igitur est sententia: secundum divinitatem, quae aequalis est Patri, in hoc mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit. Aug. serm. 39. de verbis Domini. Deinde ratio loquendi, erat quo verbo antecedentiam habetenus Ioannes indicavit. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, in ipso vita erat, erat lux hominum.

Nec satis hoc solvitur, cum dicitur, & imperfectum & perfectum significare: est enim illud nemo negat, omnes tamen consentiunt: toto contextu, erat accipi pro eo, quod semper fuit, nunquam incepit, quocirca hic quoque analogia servata sic exponendum esse. Idque cum dicat, in mundo erat, & mundus per ipsum factus est. Ipse autem non dicitur, caro factus postquam mundus factus est, sed cum mundum fecisset, ut factor in opere erat.

Tertio instituto Ioannis hoc ipsum convenit: Verbum enim in mundo erat, operabatur, omnibus rebus actionibus, cogitationibus intererat, omnia gubernabat, & conservabat. Cum enim dixisset, *est apud Deum*, ne quis otiosam, aut mundi negligentem putaret. In mundo fuisse non per solam praesentiam, & immensitatem, sed etiam bonitatem, & efficientiamque demonstrat. Non separatam a suo opere, quod sine creatoris influxu, ne ad breve quidem momentum perdurare posset, sed in illo existens.

Dei quoque id quod addit: *& mundus per ipsum factus est*, ad verbum nondum incarnatum pertinet, igitur & id quod ait, *In mundo erat.* Clarus enim sensus est, & sibi cohaerens. Dei verbum nondum incarnatum in mundo erat, & mundus per illud factus, multis annis antequam incarnaretur, & mundus factorem & praesentem, non cognovit. Minime vero ita cohaerens: Verbum incarnatum erat in mundo, & mundus per ipsum, hoc est, verbum non incarnatum factus est. Nam particula *ante* ipsum non totum Christum referret, quin incommode Christi adventus in mundum poneretur post aliquot annorum millia ab eius conditu, ac tum diceretur mundus per ipsum factus est.

§. 2. Rationes discedendi a prisco, est speciem habeant, non tamen firmas sunt. Idem aiunt, esse, *In mundo erat, & In propria venit*: hic de adventu incarnati agitur, igitur & illic. At ego cum videam Patres tam accuratè, & Theologicè in hac materia verba distinguere, non dubito vel ex hac diversitate sermonis, ad diversas naturas omnia verba relatuos. Quod vel ex eo confirmo, quod cum diceret, verbum in mundo fuisse, mundum creasse, & non agnatum a mundo: tandem inquit, in propria venit, carne scilicet vestitus, ut vel sic cognosceretur, & tamen sui non cognoverunt eum. Aliud igitur est in propria venit formam serui accipiens; aliud vero, *In mundo erat*, eum que fecerat, gubernans.

ADAMIUS  
112  
+ EVANGELIUM  
C. VI  
13

